

1525
tis virum, ea de causa obsidem traderet. Ad hæc Sfortia, arces nullo firmiori præsidio, quam suæ erga Cæsarem fidei inniti posse; Joannem vero Angelum ab se discedere non permissurum respondet: petit, ut sibi certos ad Carolum homines ad illius exquirendam sententiam mittere liceat; in ejus postea voluntate futurum, ac quodcumque illi libuerit, libenti animo facturum. His auditis, Davalus, ne Sfortiam desperatione actum in præceptis aliquod consilium impelleret, a priori severitate specie tenus deflexit: postulat, ut Cremonensem arcem jurejurando Imperatori obstringat, eodem sacramenti genere Mediolani civitas adigatur; ipse arcem Cæsaris nomine retineat, ab illa minime recessurus; hæc nisi præstet, quod illi onus, fides, dignitasque imperatoria imposuerit, continuo facturum. Interea Franciscus Sfortia, quæ a Davalo agerentur, Pontifici, Senatuique Veneto significaverat: summa cum indignitate, ac periculo foederatum Ducem obsideri; nullis precibus, ac promissis flecti Cæsareanos posse; cuncta Insubrum oppida Davali libidini exposita esse; quod unum ad retinendam speciem aliquam Principatus superesset, Mediolani nempe, ac Cremonæ arces poposcisse; urgeri milite, equite, tormentis militaribus, & ne vitam quidem trahere, nisi cum summo dedecore, ac periculo posse: jam servitutem totius Italiæ portendi: in se ipsum modo tela converfa; mox cunctos Italos Principes petitura: subveniant itaque socio, quemque auctoritate, ac viribus in imperium evexere, non modo imperio, sed libertate, fortunis omnibus, vita denique ipsa exui non patiantur: id Pontificem in primis, qui magnam inter mortales auctoritatem obtineat, nec minus Venetam Rempublicam decere, quæ amicos, foederatosque suos nullo unquam tempore deseruerit; sed præclaro liberalitatis, & magnanimitatis exemplo adjuverit, ac sustentaverit.

Eventibus his rerum novarum periclitantis Italiæ permotus Senatus, Henricum Angliæ Regem, quem nuper Gallis foedere junctum auctoritate, ac potentia plurimum posse constabat, nimiamque vel Gallicæ, vel Hispanicæ gentis in Italia potentiam æque suspectam habebat, de iis, quæ in Insubribus acciderant, certior facit; quantumque non modo Italia, verum universa Christiana Respublica his diffidiorum facibus in-